

XVIII.

Q. D. B. V.

ad

ACTVM SOLENNEM,

quo,

ita dirigente DEO,

exque voluntate clementissima

*Serenissimi Principis ac Domini,*

DOMINI

JOHANNIS  
WILHELMI

Ducis Saxoniae, & rel.

*Patris Patriae Indulgentissimi,*

ab Illustri Gymnasio Ienacensi

*dimitendus est publice honestissimeque*

qui classi Secundae hactenus praefuit

CONRECTOR

Eiusque in locum

per Sententias concordas

Nobilissimi Amplisimique Senatus Ienacensis,

constitui debet

qui Classem Tertiam huc usque moderatus fuit Collega,

& simul

huic Successor dabitur Novus,

ad diem crastinum, XII Junii, cto 1000 XI.

Mecoenates Patronosq; & quotquot Eruditorum

in hac Vrbe Saluti Gymnasii fauent,

vt linguis animisque adesse gratiose beneuoleque velint,

inuitare

submisso cultu officioseque & amice volui

Nomine Publico;

pauca nunc quidem

de

FATIS SCHOLAE IN  
COENOBIO ROSLEBEN

IN THVRINGIA

praefaturus

CHRISTIANVS Sunder / Dresdensis,

Sereniss. Saxon. Ducum Historiographus, & Ill. Gymnasii

Ienacens. Rector & Bibliothecarius.

Litteris Michaelis Urbani, Aulae Typographi.

Hist. Saxon.

H.

606,32

*Nobiliss. Dr. J. L. ...*

*Pract. Celeberr.*

*De schola Germ. Ien.*

*1790*

*Quitor*



**S**uae haectenus fama non minus ac laudi, quam desiderii eorum, qui Historiam Scholarum passim celebrium tradi erudite iam pridem voluerunt, consuluit Vir Amplissimus, Dn. *M. Godofredus Ludouici*, Ill. Gymnasii Saxo-Hennebergici, quod *Schleusingam* ornat, Rector praeclare meritus, & nobis quoque ex duodecim fere annorum collegio amice coniunctus; dum libello non vno haectenus edito inscriptoque: *Schul. Historie*; egregie docuit, idem dici de Scholis posse omnino ac debere, quod de Urbium Imperiorumque ac gentium fortuna adseruit olim *Velleius Paterculus*, 2, 11, 3, eam videlicet nunc *florere*, nunc *senescere*, nunc *interire*. Neque enim deest copia exemplorum, & multa collegit ipse studio singulari, plura dubio procul expositurus adhuc in posterum.

Nosque adeo, peropportunam nacti in praesens occasionem, quaedam disferemus de *Fatis Scholae Roslebiensis*, tanto quidem libentius, quod a nemine propemodum eius mentio fiat, olim tamen bene constitutae, sed misere nunc disiectae prostrataeque. Miramur ideo magis, quoniam neque imo in *Andreae Toppii* Memorabilibus Urbium Thuringicarum, quorum fragmenta digno laude studio in ordinem redegit, Vir Pl. Rev. Dn. *M. Joh. Christoph. Olearius*, verbi diuini apud Ecclesiam Arnstadiensem Minister, & elegantioris doctrinae cultor eximius, quidquam de isthac Schola Roslebiensi licuit inuestigare. Sane vero merentur Scholae, inprimis illae, quae in Monasteriis solitariis extra Urbium ambitus sitis constitutae vel Saeculo XVI. fuerunt, vel adhuc sunt, prae caeteris fere describi; ex causis multis. Idque dum perspectum habuit, vir clarissimus, Dn. *Joh. Georgius Leuckfeld*, Pastor Ecclesiae Groningensis, in Principatu Halberstadino, non sine aut ratione, aut fructu legentium, eruditeque admodum, exposuit, velut *Pertuchius* olim Portensis Scholae conditionem peculiari Chronico, ita ipse Historiam Scholarum in Coenobiis *Walckenried & Ilesfeld*, in Thuringia, septentrionali quondam dicta, sitis; in qua multa uti aeuum latura, sic iucunda scitu, atque vtilia in Rempublicam, commemorantur.

Est autem ROSLEBIA, ingens & ad oppidi formam composita villa, adiacens ripae sinistrae fluminis *Vnstrode*, pertinetque ad Principatum *Quernevordensem*, ceu pars praefecturae *Wendelstein*. Transitorio flumen obuia statim fit arx *Wibe*, cum oppido cognomine. Ibi quod non incelebre erat Monasterium, cum monachi emigrarent, quorum quippe inanibus studiis poterat carere tunc Respublica, conuerti coepit in Scholam, incertum tamen, quo anno. Factum autem id esse omnino, dubitare nos non sinunt varia monumenta, quin imo nec aevi nostri memoria. Fecit eius mentionem Ill. *Seckendorffius*, in Commentario de Lutheranism, L. I, Sect. 55. §. 138. f. 239. a. ad Ann. 1522. atque ita, ut adfirmet, solam eam esse, quae a Nobilibus, quibus adsignati fuerant redditus Monasteriorum, per totam superiorem Saxoniam, Thuringiamque & Misniam, sit constituta, ut vicem monachorum subirent quidam cum Praeceptoribus discipuli, sed maiori cum vtilitate, alerenturque ibi ex fructibus agrorum, ad cultum diuinum pie destinatis. Paruit *Roslebia* a longo vsque tempore splendidae pariter ac perantiquae lateque diffusae genti Equitum a *Wizleben*, quos inter *Fridericus a Wizleben* arcium villarumque, *Wendelstein, Rosleben & Wolmerstet*, Dominus nuncupatur ab eodem *Seckendorffio*, l. c. f. 305. b. Licet exinde non colligas, isto iam aut anno 1524, initia sua cepisse Scholam Roslebiensem. Etenim docuimus nuper ex litteris manu ipsius *Valentini Funccii* ad M. Christoph. Winer, mox Pastorem Ecclesiae in Sunthausen, Ao. 1578. scrip-

scrip-

scriptis (vide, si lubet, *Historische Nachricht von der öffentlichen Bibliothek des F. Gymnasii zu Eisenach*/ pag. 95.) esse hanc Scholam ordinatam primum, ab *Henrico de Witzleben*, ex consilio sententiaque *Georgii Fabricii*, qui leges quoque & ordinem studiorum eidem praescripsit, componique illam voluit ad exemplum Scholae Electoralis, quae Misenam ornat. In istis simul litteris videre est, tres tantum fuisse collegas, LX puerorum in classibus tribus moderatores, quorum XXX gratis fuerint sustentati, reliquis XXX summam XV florenorum in singulos annos soluentibus. Duravit hoc institutum, salutare Thuringiae, etiam per tristissima belli, quod in trigessimum vsque annum misere diuexauit Germaniam, tempora; neque deesse coepit illud, nisi ante hos quasi XX annos, cum flammae vis rapidior & coenobium, & in eo simul Scholam, disiceret, nec dum reparatam, licet Magistratu Supremo, SERENISSIMO videlicet DVCE SAXO-WEISSENFELSENSE, aegre omnino moram, iacturamque ex ea timendam, verente, ac ne quid tale fieri paterentur, quorum interest, semel iam monente atque iterum, interprete Consistorio Lipsiensi. Sic cum cineribus aedium miscentur lacrymae Musarum Roslebiensium, augentque, donec reficiantur, numerum earum Scholarum, quae hominum culpa interierunt, aut, si dicendum sit mollius, obductae sunt squallore, exutae splendore pristino. Vir Adm. Rev. Dn. *M. Christianus Crusius*, Pastor Ecclesiae in villa *Allersted*, vicina Roslebiae, quo vsi sumus amico contubernalique iucundissimo ante hos XX annos in Academia Lipsiensi, cum in litteris ad me datis d. XIII Junii, cl. lxxx. huius Scholae aliquam inieciisset mentionem, testatur, haud paucos passim in Thuringia viuere adhuc viros, egregie doctos, qui fateantur, se multa huic Scholae debere. Vidit ipsemet inter ruinas monumentum sepulcri, in quo composita sunt ossa *M. Pezscheri*, qui Scholam eam aliquam diu rexit, notauitque initium tituli his verbis: SAT DEVORAVI PVLVEREM SCHOLASTICVM; ac praeterea docet, in Monasterio *Dondorff*, quod e regione Roslebiae conspicitur, prope dextram Vnstrodi fluminis ripam, Rectorem tradidisse bonas litteras XII iuuenibus; verum & hanc Scholam cum fortuna aduersa nunc confictari, ex quo ipsa tristi incendio deflagauerit ante hos sex annos,

Talia exempla nos admonent, quanta sit felicitas earum Urbium locorumque, in quibus Scholae florent, Rerum publicarum Seminaria. Equidem non adeo multi id secum recte reputant, passim plerique eas parum curant, quasi negotium ad se non valde pertinens; quibus tamen idem fere tandem euenire solet, quod iis, qui postquam diu satis odio habuere praesentem virtutem, sublatam denique ex oculis quaerunt inuidi; non inepte ita sentiente Horatio, Od. 3, 24, 31.

Tanto magis rogandus est Deus, ut nunquam esse non velit & eos, qui ipsa re intelligant, quid sit res scholastica, quantumque momenti in ea poni debeat; & eos, qui non recusent admouere manum voluendo lapidi Sisyphaeo, non molli sane, nec leui, sed ita interdum graui, ut premat prouoluentes, nec raro opprimat tandem defatigatos sudore largo ac molestiis, ex motu perpetuo, & quod plane mireris vehementerque doleas, cum contentione inuidiaque ut plurimum iuncto, contractis. Quare ex his pariter atque aliis causis, etiam solet accidere, ut, qui de vitae, quam satis tenuiter protraxerunt, conseruandae ratione cogitant, subinde optent onere laboris scholastici liberari, mutentque sedem, quietioris vitae adpetentes. Quibus id nemo facile vitio vertet, quisquis vel per transfennam inspexit, quantum taedium perferendum sit iis, qui docendi in scholis munere ita fungi volunt, ut conscientiam rerum recte gestarum testem secum habeant, his praesertim seculi moribus. Dum alii, qui exiguo salario, quod ipsis in mercedem operae ex antiquo, at meliorum fortasse temporum, instituto datur, se suamque familiam honeste tueri ac sustentare vix possunt, de pinguiori fortuna quouis sibi prospiciunt modo. Has enim causas esse plerarumque mutationum, quas viri in Scholis docentes subire solent, ac necesse habent ut plurimum, nemo, nisi qui parum prudens est, ibit inficias. Neque ego video, quid in iis opprobrii sit. Saltim iuvabit notasse hoc loco, quod legimus nuper in Programmate, quo Vir suo tempore magni suaeque adhuc dum luce coruscantis nominis, *D. Joh. Christfried Sagittarius*, Superintend. Generalis, fata *Scholae Altenburgensis* prope deflet, quae ipsi Ao. 1666, acciderunt; quippe cum intra dimidiam anni istius partem omnes fere classes novos accepis-

cepissent Praeceptores. Non arbitror iniucundum fore, eorum institui breuem enar-  
 rationem. M. Joh. Henricus **Zenner**/ Cantor hactenus & Classis quartae Praeceptor,  
 Pastor & Adiunctus Göznicensis constituebatur; cui successor datus M. Godfr. Erne-  
 stus Pigert, Organoedus & Classis tertiae huc vsque Collaborator; M. Christoph. Hen-  
 ricus **Löber**/ Sacerdos in aula, praelegens *Classi superiori* Philosophiam, admouebatur  
 Ecclesiae Orlamundanae Pastor ac Superintendens; cuius locum in aula occupabat  
 M. Michael Christianus *Ludouici*, hactenus *Sub- & Con-Rector*; huic in Conrectoris of-  
 ficio succedebat M. Joh. Georgius **Schmalz**/ per aliquot annos *Sub-Rector*; & ipse nac-  
 tus Collegam a se proximum, M. Christophorum *Graesium*, ante hac *Collegam quartum*;  
 quin & ipsum *Rectorem*, M. Christianum *Funccium*, conciliabat sibi Gorlicium, vrbs Lu-  
 satiae superioris, salario honesto, eiusdemque facto ad dimidium augmento, vltra fe-  
 culi morem; ita sentiente laudato Sagittario; cuius in locum sufficiebatur M. Petrus  
**Haertelius**; ac tandem Michael **Vogel**/ qui tenellae in *infima Classe* per XII annos  
 praefuerat iuuentuti, aeditui in vicino pago munus obtinens. Quae postquam recen-  
 suit Sagittarius, haec in fine adiicit: *Tales, tamque crebras, adeo exiguo temporis interual-*  
*lo, & Classes plerasque concernentes, vicissitudines, Schola nostra per CXL. annos, a tempore saluti-*  
*ferae Reformationis, non sensit; vt deuote rogandum sit Numen supremum, ne peccata nostra, sub-*  
*tractione suae gratiae, & diminutione famae honestae, qua apud ceteros & peregrinos nostrum*  
*Lyceum hactenus claruit, vindicet puniatque.*

Ac ne quid disimuletur, habuit certe & *Gymnasium Isenacense* sua fata, quae quo  
 signanda sint nomine, nostrum iam non est indicare. Id ostendunt temporum notae,  
 inde ab Anno cl<sup>o</sup> Is<sup>o</sup> cxc<sup>i</sup>, quo, simul cum Pastoris in Ecclesia officio grauissimo, su-  
 prema cura Ecclesiarum in Ducatu Isenacensi, nominatimque, inter Scholas reliquas,  
 prouincialis huius Inspectio, demandata est. Viro summe Reuerendo Magnificoque, Dn.  
 IOH. CHRISTOPHORO **Zerbst**/ Venerando ob aetatem, rerumque agendarum mo-  
 deratam prudentiam, atque ingentia merita, Seni, XI Praeceptores publicos, inque  
 singulis Classibus fuisse ad hunc vsque diem introductos; quibus nunc accedit *decimus*  
 & *secundus*.

Quippe, Deo ita dirigente, exque indultu *Clementissimi Patriae Patris, Vir Adm.*  
*Rev. Clarissimusque, Dn. M. RVDOLPHVS CHRISTIANVS Hesselbarth, P. L. C. &*  
*per XV prope annos Con-Rectoris* in Gymnasio defunctus officio, fide singulari, succes-  
 suque felici, & cum laude, quam sibi apud *Patronos* Iuuenesque probos ( quibus vt de  
*mensa liberali* etiam prospiceretur, ipse primus ac fere solus, ingenti cura sollicitus fuit  
 apud Benefactores ) omnino promeruit, Ecclesiam in villa *Maiori Lupnitz*, posthinc  
 moderaturus, & vocis & exempli pietate; vacuum fecit locum suum; quem adeo,  
 ex Nobilissimi Amplissimique *Senatus Vires*, tanquam *Patroni*, beneuolentia legitime  
 electus vocatusque occupabit

Vir *Clarissimus*, Dn. JOH. PAVLVS **Ebhart**/ hactenus Classis tertiae Praeceptor,  
 per XIX cum dimidio annos, de iuuentute sibi tradita optime meritis, maiora quoque  
 de se promittens ac profutura discipulis.

Huic autem Successor in Classe *Tertia*, ex vnanimi *Patronorum* consensu,  
 datus est, Vir *doctissimus*, Dn. IOH. GEORGIUS **Rudolph**/ Isenacensis, Theologiae  
 Cultor, & in erudienda iuuentute non vni iam probatus Patrono.

Hi igitur dum, a *Summe Reuerendo* Dn. EPHORO *dimittendi* partim, & ad noua  
 partim officia ineunda commendandi publice ac solenniter, singuli *Numini Sanctissimo*;  
 & *Serenissimo DOMINO*, tum *summis* quoque *PATRONIS* in *Principali Regimine & Con-*  
*sistorio Supremo, Senatuque*, agere gratias, & exorare *IPSORVM* in se porro fauorem, se-  
 cum decreuerunt, verba facturi non prolixa, sed pia tamen; & quidem: Dn. M. **Hessel-**  
**barth**/ de *Ratione Martyrii Scholastici*; Dn. **Ebhart**, de *Difficultate Paedagogiae*; ac Dn.  
**Rudolph**/ de *Prouidentia Dei directrice Scholae*; Nostrum est, ea, qua debemus, submissio-  
 ne, & obseruantia rogare *Mecoenates, Patronosque*, & quosuis in hac Vrbe *Eruditos*, vt ad-  
 esse *Actui* huic *solemni* ad breue tempus ne dedignentur, & pia verba cum precibus no-  
 stris consociare; cum sane omnium incolarum intersit, salutem Gymnasii perstare  
 diu, nec casibus aduersis vnquam conturbari, facilius quippe lapsuram, quam postlimi-  
 nio erigendam.

P. P. Isenaci, d. XI Junii, cl<sup>o</sup> Is<sup>o</sup> ccxi.

✽ (\*\*\* \*\*\*) ✽